



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens Psalmos à 51. ad 75

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1762**

**VD18 15558428-001**

Psalmus LXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

cludit Psalmum, dicens : Et ego confringam omnem superbiam, omnem gloriam, omnem potentiam peccatorum ; Et faciam, ut exaltetur gloria, & potentia iusti cujuscunque, sed præcipuè Christi, qui sic fuit eminenter justus, ut multos justificaverit.

PSALMUS LXXV.

**T**itulus, & Argumentum: *In finem, in laudibus Psalmus Asaph, Canticum ad Assyrios.*

*Propter ultima verba Tituli, Canticum ad Assyrios, quæ non sunt in codice Hebraico, putant Theodoret. Enthym., & multi Recentiores in hoc Psalmo prædici victoriam, quam obtinuit Ezechias de Sennacherib, Rege Assyriorum. Sed sinè dubio, altiori sensu prædicitur victoria electorum Dei adversus omnes hostes tum visibiles, tum invisibiles.*

*v. 1. Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus.*

*Propter hæc verba valde superbiunt carnales Judæi, sed frustra. Notus enim erat Deus in Judæâ terrenâ, quando in eâ degebant Prophetæ, & populus iis acquiescens : & pariter in Israel secundum carnem magnum erat nomen Dei, quando populus Israel non solùm*  
carne,

carne, sed etiam corde circumcidebatur. At postquam Dei Filium negaverunt, & ejus populus esse desierunt, nec in Judæâ terrenâ notus est Deus, nec in Israel secundum carnem, magnum est nomen ejus. Cùm verò Psalmus in titulo habet, *In finem*, & ideo respicit Christum, qui est finis legis, & usque in finem mundi canendus est; per Judæam altiori sensu intellige Christi Ecclesiam, in quâ sunt veri Judæi circumcisi corde. In Ecclesiâ igitur Christianâ notus Deus est, & in populo Christiano magnum est nomen ejus: major enim sapientia est in parvulis Christianis, calentibus brevissimum Catechismum, quàm olim fuerit in Philosophis gentium, vel in Magistris in Israel. Sed præcipuè notus Deus est viris perfectis, in Ecclesiâ Dei, qui totos se contemplationi rerum Divinarum dediderunt, & ex contemplatione in confessionem Divinæ magnitudinis toto corde erumpunt. *Judæa enim confessionem significat.*

ψ. 2. *Et factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion.*

Ad literam redditur ratio, cur in Judæâ potius, quàm in aliis locis olim Deus notus esset. Quia Deus elegit sibi locum peculiarem, in quo tabernaculum suum collocaret, in civitate *Salem*, quæ *pacem* significat. Et elegit sibi

habitationem in Sion, quæ est pars altissima, & nobilissima urbis Jerusalem.

Altiori sensu significatur, ideo Deum notum esse viris perfectis, quia Deus præcipuè habitat in mentibus pacem habentium, & contemplantium: nam ut *Salem* significat *pacem*, ita *Sion* *speculam*. Et nisi quis per mortificationem carnis pacem habeat ad Deum, ad proximum, & ad se ipsum; non facillè per contemplationem transcendit res omnes creatas, & uni Deo conjungitur.

ψ. 3. *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.*

Jam describit victoriam contra Assyrios, de de quâ L. 4. Reg. 19. Ibi Angelus Domini unâ nocte occidit centum octoginta quinque milia Assyriorum; & sic *confregit Deus potentias arcuum*, h. e. sagittas, quas paraverant, ut jacerent in Hebræos; & *Scutum*, quod paraverant, ut se defenderent ab Hebræis; & *gladium*, quem exacuerant, ut cominus pugnarent contra Hebræos; demum *bellum* totum confregit, h. e. avertit ab urbe Jerusalem.

Altiore sensu per jacula, & gladios intellige tentationes Dæmonum, & persecutiones hominum; per scuta prætextus varios, quibus se tegunt hostes nostri spirituales, cum nos oppugnant; sed in animis perfectorum fervorum  
suorum

suorum Deus victorias maximas obtinet, ut patet in sanctis Martyribus, & viris perfectis.

ψ. 4. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde.*

Per Apostrophem ad Deum, ostendit, unde orta sit victoria contra Assyrios. Confregit Dominus in Jerusalem arma offensiva, & defensiva Assyriorum: ille autem Dominus tu es, qui hæc fecisti, dum ex cælis, tanquam æternis quibusdam montibus tuis, ac veluti altissimâ speculâ, & arce tuâ, *mirabiliter* fulgurâsti, & Angelum tuum tanquam Cæleste fulmen misisti in exercitum Assyriorum. Unde *turbati sunt omnes* illi milites Sennacherib, velut amisso iudicio obtenebrati, & præ stupore mentis *insipientes corde* effecti sunt.

Sensu spiritali intellige, principium victoriæ contra hostes invisibiles esse illuminationem internam Dei, quâ videre nos facit Deus tum ipsos hostes, tum fraudes ipsorum: nec non bona invisibilia, *qua præparavit Deus diligentibus se*; & mala invisibilia, quæ præparavit odio habentibus se. Et quemadmodum Deus illuminans mirabiliter à montibus æternis Cælestis habitaculi sui, fortissimos reddit servos suos: sic è contrario conturbat hostes suos, insipientes corde, qui videntes, viros sanctos, & perfectos contemnere visibilia, condonare

injurias, bonum pro malo reddere, durissima propter Deum libenter pati, obstupescunt, & irascuntur, sed in fine dicturi sunt: *Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, & finem illorum sine honore, Sap. 5.*

*v. 5. Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

Communis expositio est hæc: somno mortis soporati sunt, qui Jerusalem desiderabant invadere, & se brevi eam capturos, & spoliaturos esse sperabant. Et isti Assyrii, qui ditissimi erant, & majores divitias appetebant, post mortem illam repentinam in infernum detrusi, nihil invenerunt in manibus suis, neque ex iis, quæ habebant, nec quæ sperabant. Altiore sensu doctrina generalis traditur adversus insipientes corde, qui magni faciunt bona temporalia, & despiciunt viros sanctos, & perfectos, qui ea contemnunt. *Dormierunt &c.* toto tempore vitæ hujus quasi sopore gravi concupiscentiæ, & ignorantia oppressi quietè dormierunt, somniantes se divites, & beatos esse: sed ubi per mortem evigilaverunt (pœna enim aperit oculos, quos culpa clauserat) nihil invenerunt in manibus suis: & tunc intellexerunt, bona hujus vitæ non vera bona, sed ludibria somniantium fuisse;

isse ; & ex iis nihil sibi remansisse , nisi ver-  
mem conscientiaē , & pœnæ sempiternæ rea-  
tum.

v. 6. *Ab increpatione tua Deus Jacob dor-  
mitaverunt , qui ascenderunt equos.*

Declarat , mortem Assyriorum non fuisse na-  
turalem , sed ab ipso Deo irato immissum. Illi  
dormierunt somnum suum *ab increpatione tuâ*  
prostrati , & interfecti soporem mortis accepe-  
runt , qui in equitatu suo confidebant. Incre-  
patio Dei efficacissima est , quam continuò ef-  
fectus sequitur : si enim increpatio B. Petri Ana-  
niam , & Saphiram occidit *Act. 5.* , quantò  
magis increpatio Dei omnipotentis ?

In sensu spirituali significatur , morte æternâ  
plectendos ab irato Deo & Dæmonem tanquam  
equitem , & hominem peccatorem tanquam  
equum , qui Dæmonem sibi insidere , & ab eo  
se regi turpiter passus est.

v. 7. *Tu terribilis es , & quis resistet tibi ?  
ex tunc ira tua ?*

Alloquitur Deum , & ex supplicio Assyrio-  
rum admiratur potentiam Dei , erudiens nos , ut  
similiter admiremur , & timeamus. *Tu terri-  
bilis es , & quis resistet tibi* , quando iratus  
fueris ? Illud enim : *ex tunc ira tua* , signifi-  
cat , ex quo tempore incipit ira tua , & con-  
jungendum est cum præcedentibus , ut vult S.

Aug.

Aug. Sed in textu latino ponitur distinctio, & interpunctio sæpe ob commoditatem canentium.

¶ 8. *De Cælo auditum fecisti iudicium, terra tremuit, & quieuit.*

¶ 9. *Cum exurgeret in iudicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terra.*

Occasione acceptâ ex irâ Dei in Assyrios, transit ad iram, quam ostendet idem Deus in die iudicii generalis. Loquitur autem de futuris per verba temporis præteriti more prophætico. De Cælo annuntiabis per variâ signa, quæ erunt in Sole, & Lunâ, & Stellis, & tandem per horribilem tubam Angelicam, ad iudicium novissimum te esse venturum: & tunc omnes habitantes in terrâ contremiscent, & præ timore silebunt. *Cum exurgeret &c.* h. e. de Cælo auditum facies iudicium, cum tu Deus exurges in iudicium, surges de solio tuo Cælesti, & venies ad iudicandum orbem terrarum, *ut salvos facias omnes mansuetos terra*: hic enim erit finis iudicii, ut omnes mansueti, qui sunt in terrâ, non ampliùs vexentur à crudelibus, & superbis persecutoribus; sed, omnibus impiis, & peccatoribus iusto iudicio condemnatis, omnes pii, & iusti salutem æternam, requiem videl., & felicitatem sempiternam possideant. Eos, qui liberabuntur, vocat Scriptura



tura mansuetos, quia mansuetudo opponitur crudelitati persecutorum; tum quia mansuetudo propria est Discipulorum Christi, qui ut agnus mansuetus in hoc mundo versatus est; demum quia mansueti non resistunt Deo revelanti, quæ credenda sunt; nec promittenti, quæ speranda sunt; nec iubenti, quæ facienda sunt; ac per hoc mansuetudo omnes virtutes includit.

¶. 10. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: Et reliquia cogitationis diem festum agent tibi.*

Hoc sequetur ex iudicio ultimo, ut mansueti liberati ab omni oppressione persecutorum, hoc tantum beneficium cogitantes, perpetuò Deum laudent, & festos dies celebrent in Cælo, memoriâ retinentes hæc Dei magnalia. Illud quia accipitur hic pro *quare*, vel *propter quod*. Per *reliquias cogitationis* intellige perpetuam memoriam, quam in ipsis relinquet cogitatio tantæ rei.

¶. 11. *Vovete, Et reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.*

¶. 12. *Terribili, Et ei, qui aufert spiritum Principum, terribili apud Reges terra.*

Concludit exhortando fideles populos ad vovendum, & reddendum, ut eo modo placatum

catum habere possint Deum, qui terribilis est, adeò ut ipsis etiam Regibus vitam adimat, quando ei libitum fuerit. *Vovete &c.* promittite Deo sacrificia, & dona, quæ illi grata sunt; sed simul fideliter reddite, quæ promisistis. Vovete, inquam, & reddite vos omnes, qui frequentatis aras Dominicas, & in circuitu altaris consistentes, offerre soliti estis munera: Vovete autem, & reddite Deo vero, qui *terribilis est* in judiciis suis, & à nemine irrideri, aut falli potest: nec solum terribilis est erga privatos homines, sed etiam in Reges, & Principes, qui aliis hominibus terribiles esse solent. Ex illis verbis, *Vovete, & reddite*, refellitur hæresis modernorum hæreticorum, qui vota rerum, non imperatarum à Deo, omnino contemnunt.

